

## B. C. D.

## I.

Σιτομέτριον cogitanti mihi πῶς καὶ φρονίμῳ οἰκονόμῳ  
 (Luc. XII. 42.) quo consilio, quoque inprimis ordi-  
 ne, hoc nostro tempore, liberalia ingenia, in studio  
 Theologiae amplissimo, sub fido, idoneoque Doctore,  
 erudiri solide possint, opportune occurrit sapientissimi  
 Regis oraculum, quo suum docendi sapientiam modum  
 nervosissime explicuit. *Viam, inquit, sapientiae docui te,  
 incedere feci te in orbitis rectitudinis, (in quibus) quum ive-  
 ris, non angustus erit gressus tuus, & si cucurreris, non offendes.*  
 Prov. IV. 11. 12. Principio, in via, בְּדֶרֶךְ obiectum, sapien-  
 tiam, notat, uti Ps. XXV. 8. 12. XXXII. 8. ubi peccantibus,  
 commemoratione *viae*, sapientia commendatur, ut *vi-*  
*am* ideo, excellentem, LXX. CHALDAEVS & SYRVS,  
*vias* vero, cum hic versari, arduum omnino sit & proli-  
 xum, *ARIAS* memorent, ad Messiam, viam unicam, exo-  
 ptatissimamque, Ioh. XIV. 6. ubique habito respectu, ut-  
 pote quem ראשית דרכו *Principium viarum* Domini ipsa prae-  
 dicat sapientia. Prov. IIX. 22.

## II.

Omni industria ac fide hic *instituerat* sapientia; *Docui*  
*se* (תִּתִּיךָ) modo, Ebraeis ita loquentibus, usitato, quo &  
 Praeteritum, & Praesens, & Futurum innuitur, observan-  
 te GEIERO, *ad h. l.* quod similes loquendi rationes do-  
 cent. 1. Sam. XII. 23. 2. Reg. XII. 2. ὁ δὲ ἀγγισά σε, AQVILA  
 non incommode vertit; ea haec omnia fini, ut incedere  
 liceat במעגלי ישר *in orbitis rectitudinis*, quae *rectae*, v. 26.  
*bonaeque*, non *viae tenebrarum* sunt. c. II. 9. 13. *Orbitae hae*  
*Dei, ne dimoveantur incessus nostri.* Ps. XVII. 5. *Orbitae iu-*  
*stitiae,*